

1148A
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
POTVLENTORVM
ADMINISTRATIONE
IN MORBIS ACVTIS

QVAM
AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI
PRAESIDE

D. CAROLO CHRIST. KRAVSE

EIVSDEM ORDINIS PARITER ATQVE COLLEGII
DVICALIS SENIORE REL.

PRO SVMMIS
IN ARTE MEDICA CAPESSENDIS
HONORIBVS

A. D. XXII. M. FEBRVAR. CIOIOCCXCIII

DEFENDET

AVCTOR

IOANNES AVGVSTVS ISTRICH

ROCHLICIO - MISNICVS

MEDICINAE BACCALAVREVS.

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.

Pathol. gen.

452,20

H. Jaf. C. R. Wegner.

INSTITUTIONAL RESEARCH

THE

FOR WILLIAM T. O'NEILL

ADMINISTRATIVE

1950

LIBRARY

OF THE

UNIVERSITY OF

ILLINOIS

CHICAGO, ILL.

1950

IN THE NAME OF THE PRESIDENT

OF THE UNIVERSITY

OF ILLINOIS

LIBRARY

OF THE UNIVERSITY OF ILLINOIS

CHICAGO, ILL.

1950

LIBRARY

V I R O
CLARISSIMO ATQVE PRAENOBILISSIMO
CHRISTIANO GOTTLOBO
ISTRICHIO

LL. A. A. M.

GYMNASII ISLEBIENSIS SVB - CONRECTORI

LONGE MERITISSIMO

FRATRI AMANTISSIMO

OB INSIGNIA IN SE COLLATA BENEFICIA

PIETATIS

HVNC LIBELLVM ACADEMICVM

D.

A V C T O R .

V I R O

ALBERTO VON TRAUENBURG

CHRISTIANO GOTTLIEB

1711

IN AMN

GENUINER ERBEN

HONORARIUS

FRANZ AMANN


ON THE HISTORY OF THE

LITERATURE

IN THE SEVENTH ACADEMY

D.


LECTOR



De
potulentorum administratione in morbis acutis.

§. I.


Cum multae res in curandis morbis medici sagacissimi attentionem exposcunt, tum inprimis potulentorum ratio plurimum momenti habet. Tametsi autem eorum disquisitio multis res superuacanea videtur, nihil tamen est in aegrotantium cura, quod medicus prudens et peritus flocci pendat sibi que negligendum esse ducat. Nam eorum commodo aut incommodo delectu, qualitate qua sunt affecta, quantitate qua adhibentur, tempore quo sumuntur, via ad felicem morborum curationem patefieri aut praeccludi potest. Quae quum ita se habeant, operam non inutilem a me susceptum iri arbitror, qui in hanc rem paullo diligentius inquirere et praecipua potulentorum genera in acutis morbis propinari solita ita enumerare mihi proposuerim, ut simul indicationes, hoc vel illud potulentorum genus efflagitantes, adiciam morbi que naturae, et stadii symptomatumque singularium rationem habeam. Quod dum me agentem lectores vident, nolo aliquid noui me esse in medium prolaturum existiment: nouarum enim rerum inuentio tironis facultatem superat. Quare voto me potitum existimabo, si hoc tantum lecturis probauero, me




doctrinam vulgarem quidem et satis cognitam, ingenio tamen qualicumque meo subactam dilucido ordine proposuisse, et, vt nouitiis medicis facilior in potu eligendo optio et iudicium reddatur, effecisse.

§. II.

Potus varios sigillatim et vim eorum in morbos perlufranti, primum omnium aqua se offert, quippe quae veluti basin potulentorum aegrotis concedendorum constituit; postmodum subiicienda est eorum consideratio, quae vel natura aquae admiscuit vel ars adiecit. Aqua autem communis pura, quae scilicet odoris et saporis expers, leuis, alienisque et noxiis particulis non referta est, in vniuersum eam vim et efficaciam in morborum curatione habet, vt humores diluat atque attenuet, solida humectet, acrimoniam corrigat, tenuioresque partes varia excretionem e corpore abeuntes resarciat atque restauret. Nolo autem hoc loco commemorare obseruationes de aquae salubri vsu, quippe satis superque vnicuique notas, annotare tamen mihi liceat, aquae reliquorumque ex ea paratorum potulentorum temperiem in morbis curandis minime negligendam, sed potius serio et consulto respiciendam esse, propterea quod aqua tum ad singulares et haud raro plane contrarias indicationes explendas commode adhiberi potest. Quum enim ea aut frigida, aut egelida, aut tepida, aut calida intus aequae assumi, ac extus applicari possit, atque his eius variis proprietatibus diuersa morborum genera oppugnare valeamus, in recta harum rerum administratione multum solertiae et sapientiae medicae reconditam esse, is qui pathologiae et therapiae praeceptis probe imbutus est, quique non ignorat, simplicissimis remediis per saepe atrocissima mala certius debel.



debellari quam farragine plurimum maximeque compositorum medicamentorum, mecum victus profitebitur. Quotiescunque autem perpendimus, in aqua simplici tot tantasque virtutes latere, longe maiores luculentioresque ab ea expectare licet effectus, si ipsa particulis medicatis genio morbi adaptatis impraegnatur. Eiusmodi autem potulenta nobis iam naturae beneficio offeruntur, qualia sunt lac in vberibus separatum, fontes soterii nonnulli, quorsum pertinet aqua Selterana, Fachingensis, et alia potulenta quae in aduersa valetudine cum acuta tum chronica potus instar larga interdum copia hauriuntur. Artis autem ministerio complura, quin imo innumera, potus genera commiscendo, infundendo, decoquendo, terendo, fermentando aliisque praeparandi modis cum aqua conficiuntur, vbi vis medicatrix partium in aquam transeuntium demulcens, refrigerans, temperans, attenuans, incrassans, consopiens, reficiens, nutriens, rel. consideranda est, quae vero ex generali remediorum contemplatione abunde patent. Attamen potus non solum morbi naturae conueniens eligendus, verum etiam pro vario eius decursu, stadiorum varietate, symptomatum syndrome, causarum grauitate aliisque in morbis obuenientibus vicissitudinibus mutandus est. Hinc sequitur, potum alium conuenire in morbis acutis, alium in morbis chronicis; alium alii praefendum esse adueniente morbo, alium increfcente, alium ad finem properante, alium denique valere plurimum aegroto conualescente; potumque semper singulari accomodandum esse indicationi, quam morbus postulat. In his autem versari ita medicum oportet, vt simul palato aegrotantis aliquid indulgeat. Id quidem difficile est ob aegroti idiosyncrasiam, gustum interdum plane singularem, consuetudinem prauam parum admodum bibendi aut poculorum spirituosorum aromaticorumque deliciis abutendi, ob insignem




animi in morbis saepe varietatem, ob deliriorum praesentiam, ob sitis denique defectum verum aut spurium. In iis autem morborum generibus, ubi sitis ad crebriorem potum capiendum aegrotos inuitat, ac propemodum cogit, imprimis gustus habenda est ratio; quodsi enim potulenta, a medico praescripta, non ita comparata sunt, ut aegrotanti placeant, tunc eorum fruitionem negligit sitimque potius perfert, quam potum capit, a cuius sapore animus eius abhorret. Sic pueri potum plane respuunt, nisi ipsis gratus sit, quo per saepe fit, ut vis morbi grauius atque vehementius inualescat effectusque longe perniciosiores post se relinquat. Quapropter multum interest, medicum plura potus genera scire, atque quodnam ob iucunditatem et suauitatem eligendum sit quantaque copia ingeri debeat, in promptu habere. Modum tamen potionis seruare, ipsa prouida natura iubemur, licet non desint medici, qui praecipiant, potum in quocunque morbo citra omnem sitim plenis poculis affatim hauriendum esse. Hi autem a recta sanandi aegrotos via deflectunt atque in transuersum libidine quadam coeca abripiuntur, quorum rationem ut tanquam peruersam et periculosam detestemur, argumentis grauibus adducimur. Etenim ventriculus a nimia potulentorum copia distenditur et fere maceratur, vis musculosa et nervosa eiusdem debilitatur atque ita frangitur, ut digestionis officio rite praesse nequeat, unde complura mala, tum in ipsius morbi decursu sese manifestant, tum post eum relinquuntur. In ipso morbo immodica potus ingestio flatus, spasmos, difficilem respirationem, praecordiorum anxietatem, maiorem febris eiusdemque symptomatum impetum, fluctuationem in ventriculo aliaque mala, quae laesam digestionem insequuntur, certissime producit; postea vero efficit, ut e morbo conualescentes pristinam sanitatem serius recuperent, aut hydropicis tumo-

tumo-

tumoribus languoribusque chronicis diu vexentur, et cum valetudinis aduersae periculo per totum vitae spatium ipsis conflictandum sit. Quare vti omnis coactio hominem inuitum et praeter necessitatem obtundens dura est, ita imprimis crudele est, aegrotos ad bibendum, quando a potu abhorrent, adigere, nisi per morborum rationem vtile sit atque necessarium, magnam potulentorum copiam ingeri. Sed et tunc hoc temperamento vti medicum licet, vt ipsis quidem saepe, crebro, singulis tamen vicibus parcam tantum potus portionem accipere iubeat, quae vi ventriculi et intestinorum concoctrice facilius digeritur atque subigitur; alioqui enim vnus momenti hilaris sensus longi temporis taedio redimitur.

§. III.

Praecipuum potum capiendi indicium est sitis, qua corpus humidi accessione indigere admonemur. Igitur in morbis, qui cum ingenti corporis aestu, orgasmo sanguinis, siccitate oris, deliriis, putredine, biliosi humoris generatione atque explicatione, irritatione quadam ventriculi, spasmis, aliisque nervosis affectibus coniuncti sunt, aut sanguinis aliorumue humorum nimias excretiones vel effusiones insequuntur, sitis idoneis potulentis conuenienti ratione sedanda est, ne corpus particularum tenuiorum iactura exhaustum languescat. Sunt vero etiam morbi, quod in febribus nervosis accidere comperimus, quorum symptomata, scilicet lingua sicca et aspera fissurisque hians, labia arida, fusca, corrugata, calorque mordax in cute animaduertendus quum indicerent, corpus indigere humectatione, nullum tamen potus desiderium aegrotantes sollicitat: quod quum multum habeat periculi, cavendum est, ne sitim abesse natura haud inuita existimemus, quin



quin imo potus tunc crebro, sed modicis haustibus exhiberi debet. In aliis morborum generibus eorumque diuersis stadiis non semper aegrotis conducit, largam, aut certe non tantam quantam desiderant, potulentorum copiam ingerere, licet sitis quodammodo, aut etiam vehementius, eos vrgeat; ita febres lentae et hecticae, spasmi feminarum hysteriarum, labes viscerum et obstructio ingens, neruorum torpor, digestio labefactata, imbecillitas summa largam potulentorum ingestionem prohibent. Quodsi vero in tali affectu sitis vrgeat, eam taleolis citri saccharo conditis, pane bis cocto cui vinum affunditur, variis fructibus horaeis coctis aliisque eius generis fallere expedit. Noto tamen quisquam existimet, potulenta ad solam sitim depellendam, aut ad symptomata quaedam arcenda vel tantum sopienda aliquid valere; sed his, si corpus humectandum est, si humores spissi attenuandi sunt, si acrimoniam per organa excretoria eliminare conuenit, ipsa quandoque causa morbi debellatur, quippe potui tunc adiiciendae sunt particulae medicamentosae, maxime quum aegroti vel ob ingratum saporem, vel ex morositate genera remediorum quaecunque respuunt aut plane auersantur. Si vero aegrotus peculiari desiderio et quasi impetu quodam fertur ad potulenta, quae minus apta genioque morbi contraria videntur: tunc in praesentem morbi statum sedulo inquirere, et naturam potus efflagitati considerare decet. Etenim si deliriis agitatur aegrotus, atque minus conuenientem, quin imo noxium, concupiscit potum, is nequaquam ipsi concedi poterit; quodsi vero animi viribus integris potulenta appetit, quae, etsi minus congrua videantur, non tamen absona sint, ab horum vsu in morbi vigore non temere arcendus est aegrotus, potio vero circumspecte largienda est, et vtrum ea conueniat viresque prostratas erigat experiendum. Quocunque autem potu in morbis
vtamur,


vtamur, is bonae notae sit, rite praeparatus exhibeatur, com-
modaque temperie gaudeat; quamobrem his, qui aegrotis
ad manum sunt eorumque curatoribus id potissimum incuican-
dum est, vt antequam potulenta aegrotantibus porrigant, ea
degustent, ne vappido, acescente, rancido, putrescente aut
plane alieno potu ventriculus oneretur.

§. IV.

In febribus generatim alia potulentorum ratio est tem-
pore apyrexias et remissionis, alia tempore paroxysmi et ex-
acerbationis, et in his periodi frigoris, caloris aliorumque
febris symptomatum probe discernendae sunt. Frigore enim
aegrotum concutiente, quando non solum cutis externa, sed
etiam interiorum cauitatum superficies contracta videtur esse,
ita vt orificia vasorum absorbentium negotium commode per-
agere nequeant, potum calidum non nisi parce, etiamsi siti
admodum vexetur, porrigere licet; siquidem frigidus potus
magna copia simul haustus non modo stomacho incommodat,
vomitus ciet et anxietatem creat, verum etiam ipsius frigoris
vehementiam et durationem adauget, febrimque multo quam
antea erat reddit pertinaciorum. Vt igitur spasmi sedentur
sitisque vtcumque restinguatur, neque tamen naturae medica-
trici vis vlla inferatur, prodest infusum calidum, tenue, non
meracum, ex planta quadam ventriculo grata et amica, anti-
spasmodica et leni aromatica virtute praedita, veluti ex her-
ba melissae, foliis theae viridis et boheae, floribus chamomil-
lae vulgaris, sambuci, seminibus anisi etc. sensim paullatimque
ea tantum quantitate quasi sorbere, vt intra horae spatium vix
vltra tria quatuorue pocula sumantur; quae autem reliqua est
sitis, eam remediis satis cognitis fallere oportet. Sed in calo-

B

ris



ris febrilis periodo fatius est, potum temperantem, refrigerantem, emollientem leniterque resoluentem adhibere; hinc aqua egelida vel frigidiuscula aut simplex aut cum pauxillo acidi vegetabilis cuiusdam remixta, aliaque potulenta, quae deinceps in morbis inflammatoriis enarrabimus, tum imprimis commendanda sunt. Quodsi vero excretio quaedam critica cum virium integritate paroxysmum febrilem insequitur, ea siue sudore, siue diuresi, siue diarrhoea, siue alia ratione se prodatur, plerumque congruo potu ita iuuari poterit, ut medicatione interdum prorsus supersedere possimus. Eiusmodi simplex curatio, praemissis aut simul adhibitis remediis euacuantibus, in plurimis morbis acutis, quamdiu nec causarum gravitate terrent, nec symptomatibus exitiosis stipantur, nec cum aliis morbis insidiosis complicantur, saepenumero sufficeret, nisi interdum medici, pericula temere subeuntes, arroganter naturae vires suo subditas esse imperio opinarentur, partim aegroti morborum doloris impatientes opibusque suis freti medicamenta magis composita, efficaciora, pretio cariora et alimenta delicatiora palatoque suaviora vehementi quodam impetu concupiscerent; quae duplex peruersitas naturae viribus in superando morbo maxima impedimenta obiicit.

§. V.

In morbis inflammatoriis irritatio inflammationem producens aut per totum corpus diffusa esse videtur, aut singulas partes reuera afficit. In utroque casu eiusdem generis potulenta in uniuersum locum habent; qua sedem morbi autem interdum discrimen aliquod obtinere, per se iam manifestum est; praeterea quoque mali vehementia, stadium exitusque varium potus usum exposcunt. Ipsa autem inflammatio-
nis


nis natura, caussae et symptomata propter concitatio-
rem sanguinis motum, aestum atque sitim *diluentia* et *refrigerantia* in-
dicant; erethismus fibrarum muscularium et vasorum *emollien-*
tia et *demulcentia* postulat; nervorum affectio sensusque dolo-
rificus *inuoluentia* postulat, et ut stasium genesis praeuertatur,
soluentia potulenta requiruntur. Iuxta has indicationes diuer-
sa apud nostrates usitata potus genera referre atque enumerare
placet; est tamen quod moneam, in his, uti in medicamentis,
virtutes medicas accurate definiri non posse, siquidem in vno
potus genere plures saepe vires comprehendantur, diuersa-
que inter se componantur, ut plures indicationes simul ad-
impleamus.

I. Omnibus morborum acutorum, imprimis inflamma-
toriorum stadiis conuenit potus *diluens*, qui potissimum aqua
pura continetur. Quamuis autem ab aestum sitimque per-
quam molestantem et fatigantem in his morbis a potu aquae fri-
gidae plurimum auxilii expectari posse videatur, tamen cum
ex ipsius morbi natura, tum quoque experientia edocti scimus
inflammationem per eam augeri. Idem effectus etiam a potu
calidiori producit. Quare potius in febre inflammatoria
egelido, et in certis quibusdam topicis inflammationibus et-
iam tepido potu utique utendum est. Licet vero solius aquae
communis potus in phlogosi abigenda saepe plurimum valeat,
haud raro tamen indicia quaedam vel praeuisa, vel praeter
opinionem accidentia potionem efflagitant, cui particulae me-
dicatae insunt, quarum beneficio plura et maiora emolumenta
consequi possimus.

2. Quo igitur aestum eiusmodi morbos concomitantem
potu temperemus, *refrigerantia* et aquae et aliis potulentis uti-
lissime addimus, ad quae omnia acida vegetabilia pertinent.
Oportet autem ea nec meraca, nec acria, nec nimia copia ad-

B 2

hibere,




hibere, sed tantum aquae ea quantitate admiscere, qua sapor gratia redduntur. Inter haec eminent succus citri, si vero malum citreum in taleolos discinditur atque aquae immittitur, citri corticem remouere debemus, utpote qui ob magnam olei essentialis portionem in eo reconditam non tam ad imminuendum quam potius augendum calorem plurimum facit. Eisdem scopo quoque inseruit succus limoniorum, aurantium et pomorum sinensium. Alia potulenta refrigerantia, quae simplicitate non minus quam utilitate se commendant, obtinemus, si acidum tartari et cremorem tartari solubilem exigua admodum quantitate aquae admiscemus. Haec vero quoniam cariora sunt, pauperibus dari vix possunt, apud quos igitur horum loco acerum vini vel etiam cereuisiae, et cremor tartari communis, vel tartarus ex aqua coctus substitui debet. Nitrum denique et sal prunellae nonnunquam refrigeranti potui admiscuntur, quae tamen uti infusa et decocta fructuum horaeorum acidorum et acido-dulcium vi soluente magis conspicua sunt. In febre inflammatoria non admodum graui aut ad finem declinante interdum prodest cereuisia secundaria succo citri condita; quam etiam homines inferioris sortis cum syrupo communi commiscunt, quando morbis cum pertinaci alvi obstructione coniunctis laborant; is potus tamen caute admittendus est, ne diarrhoeam excitet ad aegrotorum perniciem facile vergentem.

3. Porro *emollientium* et *demulcentium* in morbis phlogisticis curandis insignis est utilitas, eorum enim ministerio non solum solidae corporis humani partes humectantur et relaxantur, verum etiam acrimonia in humoribus genita potentius corrigitur et ad exitum ex corpore praeparatur; his vero efficitur, ut doloris vehementia in inflammatione multum minuat

tur

tur aliaque beneficia praestentur. Potissimum autem potum reddunt emollientem semina farinosa, si cum aqua infunduntur aut leniter tantum et parca quantitate ex ea coquuntur, ne nimia ex iis mucilaginis vis extricetur. Ex farinosis decoctum ex hordeo et auena cum cortice paratum reliquis plerumque praefertur, licet etiam tenuia infusa, quae ex horum seminum grato, nempe ex hordeo perlato et auena excorticata conficiuntur, eidem vsui egregie inserviant. Id tamen quod ex auena cum cortice paratur decoctum, quoad equidem observavi, aegrotis ob minus fatuum saporem magis placet, quam hordei decoctum, quo posteriori interdum vix per aliquot dies ipsis vti licet, nisi grato quodam syrupo condiatur. Neque minorem utilitatem habent panis siliginei vel cibarii infusum et decoctum, ex quo gustui potus iucundior paratur, si ex utroque pane bis cocto praeparantur. Qui ex infusione panis tosti conficitur potus, is itidem admodum sapidus et reficiens est; quum vero per tostionem ipsi particulae empyreumaticae adhaereant, verendum est, ne eiusmodi potiones, si vel nimia copia aut nimis concentratae exhibeantur, saporem ingratum gignant vel aegrotis detrimento sint. Neque minus ex herbis et radicibus plantarum quarundam potus emolliens parari solet, quo tum frui possunt morbo decumbentes, quando potus consueti taedet alioque variari conducit. Ex herbis folia althaeae, maluae, parietariae, tussilaginis, capillorum veneris et flores tiliae atque papaveris erratici cum aqua feruida infunduntur, quam deinde egelidam aegrotis bibendam praebemus. Ex radicibus autem praecipue tenuia decocta scorzonerae, liquiritiae, tragopogonis, atque apii dulcis et dauci recentis commemoranda sunt, ad quorum usum sub medicamentorum nomine aegroti quodammodo cogi possunt. His denique annumerare debeo serum lactis edulcatum et de-



puratum, decoctum sacchari lactis et emulsiones ex amygdalis feminibusque sic dictis frigidis tenuiores.


4. Emollienti ac refrigeranti potui *inuoluentis* tum interponendus aut cum eo coniungendus est, si irritatio vehemrior ac dolores et spasmi aegrotum diuexant, aut pulmones, ventriculus, intestina, vel viae vrinariae inflammatione tentantur, in quo casu inuoluentia tepide hauriantur necesse est. Huc autem pertinent semina farinosa tamdiu cocta, donec principium suum mucilaginosum maxima parte reddant, qualia sunt hordei grana tamdiu cocta donec cortices dissiluerint; decocta colata non admodum spissa hordei mundati et perlati; auenae cortice suo orbatae et gruti auenacei; oryzae; polygони erecti; festucae fluitantis; fagopyri; fufurum triticeorum: neque praetereunda sunt decocta ex sago vtriusque Indiae; radice althaeae et saleb aliarumque radicum orchidearum; gummi arabico; cornu cerui. Infusum seminum lini recentium ad praecipua inuoluentia pertinet, quod non, vt videri posset, nauseoso terret, sed potius grato se multum commendat sapore. Denique emulsionum supra iam commemoratarum, attamen meraciorum, obliuisci non decet. Quam vero crebriori et repetito inuoluentium vsu vires ventriculi concoctrices perturbari atque debilitari possint, ea quadam cum circumspectione administranda sunt, ne anxietates, congestiones aliaque mala inde proliciantur.

5. Potulentorum *soluentium* in inflammatione curanda eiusdemque symptomatibus coercendis vis atque utilitas insignis est. Horum enim beneficio fit, vt aqua, quae ipsis vehiculo est, facilius intimiusque cum humoribus nostris commisceatur; quare tum diutius in corpore remanet, neque illico per diuresin ex eo immutata iterum excernitur. Deinde etiam a soluente potu id praesidii expectari potest, vt stases inflammato-

mato-

matoriae penitus praeuertantur, aut si quae reliquae sint, eius usu feliciter superentur. Quodsi autem soluentibus potionibus uti consultum est, eas non acres, nec nimis concentratas, nec calefacientes adhiberi oportet, ne irritatio maior fiat atque ita inflammatio augeatur. Soluentis autem indolis potum obtinemus, si radices graminis, scorzonerae, glycyrrhizae, tragopogonis, taraxaci, cichorii, foeniculi cum aqua infunduntur aut decoquuntur, quarum usus tum praecipue locum habet, si diuresis promouenda est; ex his autem taraxaci, cichorii et foeniculi radicem propter aliquam amaritiam atque virtutem subaromaticam parca admodum quantitate adhibendam aut reliquis addendam esse arbitror. Maxime vero proficua sunt in morbis inflammatoriis infusa et decocta fructuum horaeorum acidorum et acido-dulcium aquosa, eorumque succi et syrupi in aqua soluti. Ex quibus praesertim commemorari merentur decoctum pomorum sylvestrium, decoctum pomorum borsdorfianorum eorundemque infusum, si ea poma in taleolos discissa aquae feruidae immittuntur; qua ratione etiam alia poma sapida tractari possunt. Porro quod minus putaueris, eximius quoque potus ex cerasorum acidorum pedunculis praeparatur, ex quibus praeter saporem acidulum etiam vis quaedam mucilaginosam in aquam transit. Ipsa autem cerasa acida potum decoctione largiuntur, qui omnibus indicationibus in morbis inflammatoriis respondet simulque aegrotantes mirum in modum reficit. Decoctum prunorum et tamarindorum, uti etiam serum lactis tamarindinatum tum prodest, quando aegroti pertinacem alui obstructionem patiuntur. Eundem in finem syrupi varii ex fructibus modo dictis adhiberi possunt, quorum spectant syrupus cerasorum acidorum, berberis, ribesiorum, acetositis citri, rabi idaci imprimis cum aceto coniuncti, qui sub nomine *Syrop de vinaigre* nostra.

nostra.




nostratibus innotuit. Praeterea saccharum, mel, oxymel simplex, rob dauci atque mororum, syrupus seu extractum radicis graminis et taraxaci, quae omnia insigni solvente virtute pollent, varia ratione diuersis antea enumeratis potulentorum generibus addi possunt, ex quorum usu in morborum acutorum curatione vberissimi fructus redundant. Quo denique potus soluens efficacior reddatur, interdum ipsi aliqua nitri vel cremoris tartari portio vtiliter adiici potest.

§. VI.

Quum autem variis indicationibus in morbis acutis, quae potum, simul satisfieri possit, ex simplicibus potus generibus modo perlustratis, multiplicia commiscantur potulenta, quae varias utilitates adferunt. Horum saltem nonnulla hic in medium afferre attinet. Communia ex his sunt aqua fontana cum succo citri et saccharo; eadem cum syrupo rubi idaei acetato; decoctum hordei cum oxymelle simplici, addito paulillo nitri; hordei et cerasorum acidorum recentium, vel siccatorem decoctum saccharo, melle aut syrupo quodam supra commemorato edulcatum; decoctum malorum syluestrium cum syrupo acetositis citri; decoctum auenae cum cortice addito succo citri et saccharo; decoctum auenaceum *Loweri*, quod ex auena cum cortice, ligno fantali rubro, nitro et saccharo conficitur; crytalli tartari ex aqua coctae, adiecto saccharo; decocta ex radicibus graminis, scorzonerae, liquiritiae cum oxymelle simplici; decoctum sacchari lactis cum exigua portione gummi arabici; infusum vel decoctum panis atri tenue cum succo citri et saccharo, vel cum melle et aceto; decoctum panis bis cocti cum succo citri et saccharo; herbae acetosae succus aqua dilutus et saccharo conditus, vel folia acetosae


fae

fae in fero lactis decocta et expressa; crystalli tartari ex fero
 lactis tepefacto, et complura alia. Teneriores homines atque
 pueri saepenumero delectantur infuso panis albi eiusdemque
 biscocti, vel infuso florum tiliae tenui cum syrupo mororum
 vel ribesiorum. Nonnullis aegrotantibus conducit cereuisia
 secundaria tenuis cum succo citri; alii lacte ebutyrato egregie
 reficiuntur, quod tamen iis, qui infirmo stomacho laborant,
 parca admodum quantitate concedendum est. Ea autem,
 quae haecenus laudauimus, potus genera, in morbis in-
 flammatoriis recte adhiberi possunt; in topicis vero in-
 flammationibus praeter has potiones aliae quaedam propter
 singularia symptomata requiruntur. Scilicet in pectoris in-
 flammationibus ob anxietatem et dolorem, inprimis autem
 tussis causa, inuoluentia cum soluentibus coniuncta potulenta,
 quae simul expectorandi virtute gaudent, indicantur, qualia
 sunt decoctum specierum pectoralium, vel herbae tussilaginis,
 oreoselini, vrticae, veronicae cum syrupo capillorum vene-
 ris; decoctum radicis althaeae cum passulis minoribus; de-
 coctum auenae excorticatae cum paucis amygdalis dulcibus
 bene tritis etc. In ventriculi et intestinorum inflammatione
 fere solis emollientibus et inuoluentibus potionibus vtendum
 est, siquidem acidae et soluentes irritant, atque ita vomitum,
 dolorem et anxietatem augent. Qui dysenteria affliguntur,
 vbi inflammatio metuenda est, iis potiones inuoluentes quam
 maxime salutare sunt, quas non solum ex farinosis seminibus,
 cuiusmodi decoctum farinaceum *Loweri* est, verum quoque
 ex animalium partibus, veluti vitulorum pedibus, veruecum
 intestinis, quin etiam ex veruecina pelle, ex qua *Buchani* de-
 coctum contra dysenteriam paratur, medici desumere impe-
 rant. Praeterea etiam lac tam in dysenteria, quam in aliis
 quibusdam morbis inflammatoriis ob demulcentem et emol-
 C
 lien-



lientem virtutem laudatur, quamvis ob difficiliorem digestionem nimiamque nutriendi vim quandoque alienum esse videatur. Egregiam nimirum utilitatem praestat pueris, qui variolis infestantur, lac cum magna aquae aut alius cuiusdam infusi vel decocti portione dilutum. In morbillis decoctum furfurum cum lacte et pauxillo melle ob tussim grauem et utilitate et grato sapore sese commendat. Quod ad scarlatinam febrem attinet, in ea ad praepediendam hydropis genesis interdum diuretico potu opus est, atque tunc infusum admodum dilutum baccarum iuniperi, vel herbae petroselini, vel oreoselini medicamentorum diureticorum vim insigniter adiuuat. Quum autem inflammatorum morborum ea natura sit, ut, si felicem exitum habent atque resolutione dissipantur, perraro tantam post se relinquunt infirmitatem, ut vires per medicamenta cardiaca, excitantia atque stimulantia restaurari debeant: in conualescentibus, praeter victum nutrientem leniterque roborantem, potus itidem nutriens ac reficiens, qualem decocta emollientia et inuolentia supra allegata, atque acidi fructuum horaeorum succi maxime suaues praebent, omnem fere numerum absoluit. Quare eo tempore, quo omnia spirituosa potulenta sollicitate fugienda sunt, plerumque hydrogala; serum lactis rite quidem praeparatum, non tamen depuratione omni nutriendi virtute spoliatum; aqua selterana; cereuisia non adeo generosa vel dilutior; tantillum vini acidi aquae additum; serum lactis vinosum, interdum etiam chalybeatum pro potu sufficiunt. Quodsi vero inflammatio in suppurationem vel scirrhum vergit, malum inde chronicum ut plurimum enascitur, de quo fusius hic agere vetat nostri consilii ratio; quando vero inflammatio in gangraenam tendit, auxilia a potu et medicamentis petuntur ex antisepticorum et cardiacorum classe desumendis.

§. VII.




§. VII.

Plurima potus genera, quae contra morbos inflammatorios commendauimus, possunt quoque ad biliosorum acutorum morborum curationem transferri. Bilem enim cum in primis viis effusam ibique irritationem producentem, tum ad massam humorum delatam, vel in corporis humani succis extricatam diluere et soluere, effectusque eius noxios mollientibus, inuoluentibus, aperientibus, refrigerantibusque impedire, consultum est. At obseruandum est, eiusmodi aegrotos potulentorum frigidorum omnium maxime et desiderio teneri et fruitione oblectari; ceterum potus in genere parum recedere debet ab eo, quem inflammatorii morbi poscunt. Potiora autem genioque morbi maxime accommodata sunt ea potulenta, quae vim refrigerantem ex fructibus horaeis acidis accipiunt, atque cum iis soluentibus commiscantur, quae aluum obstructam esse non sinunt; nam in his morbis diarrhoeam modicam potu continue prolicere et sustinere, perquam vtile est. Ex haecenus dictis facile quisque tum simplicia potus genera eligere, tum composita pro morbi eiusdemque symptomatum modo atque ratione conficere poterit, quorum aliqua tantum nominasse sufficiat. Aqua fontana cum syrupo rubi idaei acetato, vel alio syrupo et succo citri, vel etiam oxymelle; decoctum ex aqua communi cum cremore tartari, addito succo citri et saccharo; decoctum hordei, vel aenae, vel oryzae cum cremore tartari; decoctum panis cum succo citri; serum lactis acidum et tamarindinatum; decoctum tamarindorum cum oxymelle simplici; decoctum radicum demulcentium cum eodem, atque plura alia in biliosis morbis acuti generis propinari aegrotis possunt. In his autem morbis ab inflammatoriorum morborum curatione in eo recedendum est, quod in biliosis potione frigidiori, cui acida

C. 2

vegeta-



vegetabilia maiori quantitate admisceri possunt, vti liceat; quod nitrum plane omittamus, aut eo saltem parcius vtamur, quippe quod persaepe anxietatem in his morbis admodum molestam vehementer auget; quod denique a lacte abstinenceamus, cuius vsus aegroti ferre nulla ratione possunt; interim tamen bile ex primis viis eliminata lac ebutyratum cum cautionibus, quas eius vsus habet, necessariis adhibitum, egregiam vtilitatem praestat. Neque harum potionum vsus tum cessare debet, quum febre iam remittente morbi biliosi ad finem vergant. Noxii enim bilis effectus difficilius et praecaueri et tolli possunt; deinde hi morbi facile reuerti solent; tum aegrotantes tardius sanitatem amissam recuperant quam ex morbis inflammatoriis; denique morborum biliosorum facilis in morbos putridos est transitus.

§. VIII.

Morbi autem putridi, siue a colluue putrida in primis viis haerente, siue ex his ad massam humorum iam delata, siue contagione alioque modo in corpus inducta, geniti, potum praesertim *antisepticum*, eumque ob insignem virium prostrationem hoc morborum genus concomitantem, simul *cardiacum* et analepticum, quantumque fieri potest roborantem vna cum diluente et soluente potione requirunt. Antiseptica autem virtus licet in omnibus acidis acescentibusque vegetabilibus insignis delitescat, nusquam tamen ea potentior inuenitur quam in acidis mineralibus, ex quibus acidum vitrioli vel sulphuris frequentius quam reliqua acida mineralia aegrotis exhiberi solet, quamuis acidi salis vsu eadem emolumenta consequi possimus. Permultum autem refert, acidus istas portiones interdum magna copia, scilicet de vitrioli spiritu vsque ad vnciam
femis

semis quotidie pro morbi vehementia, aegrotanti porrigere, modo dilutas satis eas bibat, ne ventriculus et intestina iis laedantur. Quaecunque vero diluentia adhibueris et cum acidis mineralibus coniunxeris, ea frigida sunt; tunc enim aestum mirifice temperant, deliria componunt, capitis dolores leniunt, viresque vitae suppressas excitant atque restaurant. In leuiori casu acida vegetabilia, magna quantitate aquae frigidae admixta sufficiunt; quodsi vero morbi putridi vis impensius augeatur, cum aqua frigida acidum vitrioli commiscendum, tantumque sacchari, aut mellis, aut grati cuiusdam syrugi, veluti syrugi rubi idaei, affundendum est, ut sapor acidus mitigetur et gratior reddatur, aegrotique ad haustus frequentiores inuitentur. Porro quum in floribus chamomillae magna vis antiseptica lateat, horum infusum non sine fructu cum acidis mineralibus exhiberi poterit. Vtrum autem arnicae flores putredini tantopere aduersentur, uti nonnulli medici opinati sunt, ea quidem res nondum satis ad liquidum perducta est, licet a virtute eorum excitante et stimulante, si natura ea indiget, etiam in morbis putridis eximii effectus expectari possint. Sunt etiam qui in decocto ex malto parato et aqua selterana magnam fiduciam ponant; haec vero potus generatum demum utilia censenda sunt, quum morbo ad finem vergente aegrotantes conualescere incipiunt, quo tempore etiam alia nutrientia et reficientia potulenta cum fructu exhibentur. Quo autem virium suppressarum rationem habeamus, praecipuum auxilium a cardiacis, et quidem inprimis a vino petendum est, quod vel diluentibus admixtum, aut in sero lactis vinoso aegrotis porrigitur; sed durante morbi impetu vinum solummodo tanquam medicamentum exhibere licet.




§. IX.

Vt autem febrium aliarumque aegritudinum nervosarum diuersa ratio iuxta morbi statum et mutationem varia poscit medicamenta, ita etiam pro temporum modo varium potionis delectum desiderat. In vniuersum quidem morborum modo nominatorum natura in systematis nervosi debilitate, irritabilitate et sensibilitate praeternaturali posita est; phaenomena autem hos morbos concomitantia manifestant, vim vitae modo nimium excitari, modo nimium deprimi; irritationem mox huic, mox illi corporis parti infestam esse, variasque congestiones producere, siquidem humores non solum in variis corporibus, veram etiam in ipso eodem morbo nunc caput, nunc pectus, nunc abdomen vehementius petunt atque in visceribus harum cauitatum multiplices easque diuersissimas mutationes progignunt. Quodsi praeterea quaedam complicatio, quam ut plurimum subnasci videmus, accidit, ita ut morbus vel inflammationis particeps fiat, vel biliosi humoris explicatione designetur vel cum putrido statu coniunctus sit, tunc mirifica interdum symptomatum prodit diuersitas, quae medico morbi diiudicanti et aestimandi peritissimo fraudi esse saepenumero solet. In genere quidem nervorum perturbatio ob spasticam constrictionem vel relaxationem nil nisi antispasmodicas potiones admittere videretur, ex quibus infusum radicis valerianae, herbae melissae, florum chamomillae, sambuci, papaueris rhoeados, summitatum millefolii, fere praecipuae existimantur. Quum vero spasmi a variis et saepe contrariis causis originem habeant, ex supra recensitis potulentorum generibus ea eligenda sunt, quae indicationi maxime respondent. Quare in febribus nervosis, quarum natura et sedes saepenumero latet, praesertim symptomata atque ratio, quam haec inter se sua vicissitudine seruant, perpendenda sunt, ex
qui.

quibus praesens morbi status erui futurisque praevideri quodammodo potest: quo facto potum etiam congruum eligere valemus. Itaque si sensuum externorum atque internorum vigor perit atque deliria suavia, pulsus parvus, artusque frigidi vires labantes declarant, potus analepticus, cardiacus, excitans simulque soluens indicatur: probe tamen et iugiter disquirendum est, vtrum eo tempore febris exacerbatio ingruat; quae si aduenerit, potius antispasmodico calido et diaphoretico potu vti oportet, et accessu febris profligato, cardiaca demum potulenta locum sibi vindicant. Capitis dolores, deliria ferocia, rubor faciei et oculorum, congestiones versus caput aut statum encephali inflammatorium denotant; in hoc quidem casu aegrotis potu subueniendum est, quem inflammatio poscit; fieri tamen potest, vt congestiones a nervorum debilitate proficiscantur, vbi iterum cardiacus potus auxilio est. Interdum statim ab initio morbi diarrhoea vires corporis admodum deiiciens aegrotum fatigat, quae vna cum analepticis et cardiacis inuolentes portiones poscit. Si putridi quidam nervoso morbo adhaeserit, antiseptica, supra a nobis commemorata, potulenta fructuose cum reliquis coniungi possunt. Atque haec exempli loco sufficiant, quo modo in his morbis curandis medicum versari, qua potum, oportet. Aliquando tamen fit, vt, etiam congestione quadam praesente, aegroti febre nervosa decumbentes potus spirituosus, imprimis vini, desiderio tententur. Cui vero propensione, quum nihil absenti et noxii inuoluat, satisfieri vtique cum cautione eo magis debet, quo minus calidiora potulentorum spirituosorum genera concupiscant. Ita enim, quod superiori anno saepius expertus sum, plures febre nervosa laborantes cereuisiam lupulo aliisque amaris herbis conditam, ipsi adeo vino praetulerunt, eiusque vsu virium admodum insigne ceperunt incrementum.

men.



mentum. Has vero spirituosas potiones non ceu mera potu-
lenta magna quantitate, sed ceu medicamenta ingerere iquat,
tutiusque est, eas cum multa aqua dilutas exhibere. In eius-
modi casibus autem serum lactis vinosum reliquis potionum
generibus palmam praeripere videtur.

§. X.

Sed sufficiant haec, quae de potionum usu in morbis
quidem acutis in medium afferre licuit. Materiam hanc a me
non penitus exhaustam, sed quaedam tantummodo delibata
esse, non ignoro quidem, attamen simul spero, fore ut com-
mentatio haec, quamvis iusto breuior fortasse videri quibus-
dam possit, iuniores tamen, de delectu potulentorum aegro-
tantibus offerendorum dubitantes, succinctim aut erudiat aut
confirmet. Si spes haec mea non decollabit, neque oleum ne-
que operam perdidisse laetus semper putabo.

CAN-

CANDIDATO DOCTISSIMO


S.

D. CAR. CHRIST. KRAVSE.

*Quam mihi obtulisti dissertationem VIR DOCTISSI-
ME, rogans oransque, ut minus recte dicta in rectiora
vertere, superflua expungere atque resecare, deficientia sup-
plere, vellem; eam legi diligenter atque relegi, interque le-
gendum valde gauisus sum, quam sumferas, materiam, a
Te ita pertractatam esse, ut scriptum TVVM Censura
mea facile careret. Scriptionem igitur qualem accepi, talem
TIBI reddo, gaudenter simul, uti de prioribus doctrinae*

D

medicae



medicae Speciminibus Ordini GratiOSO exhibitis eidemque pro-
batis, ita quoque seorsim de dissertatione hac Inaugurali
vehementer etiam etiamque congratulans, quae quippe opem
haud vulgarem aegrotantibus allaturum T E esse, spem mi-
nime vanam facit. Vale optime.



(Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page, including the word 'DOCTUSSE' and other illegible words.)

